



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvací, 1625**

Ad quid omnia exercitia sint dirigenda. XI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

698 EXERCITIA SPIRITALIA.  
libenter in corde lege, & aliquid inde extrahe. Disce deuotè meditari, cum gemitu cordis orare, & mentem ad Deum eleuare.

### C A P V T XI.

*Ad quid omnia exercitia sint dirigenda.*

2. **O**Mnia exercitia ad hoc dirigenda sunt, ut passiones vincatur, vt propria voluntas mortificetur, vt mundus contemnatur, & Deus diligatur: vt caro refrenetur, & spiritus ad cælestia eleuetur: vt omnibus affectionibus mitigatis, puritas cordis & tranquilla mens possideatur. Modicum laborabis, & magnam requietiem inuenies. Breue est tempus peregrinationis nostra, sed præmium nostrum erit gaudium sine fine. Multi maiora tolerant pro mundo, quam nos pro Deo. Multiduriora patiuntur, & vivi lius agunt pro inferno, quam nos pro cælesti regno.

### C A P V T XII.

*De refugio ad Deum semper habendo.*

Psal. 26.  
Abacuc 2.

1. **V**iriliter age, & confortetur cor tuum. Dominus erit tecum, in omni tempore & loco. Quære illum, & inuenies; clama, ne cesses: si moram fecerit, expecta eum, & non morabitur. Dic ad eum: Veni Domine, & noli tardare; Domine ad adiuuandum me festina. Adiuua me Iesu bone, & salua erit anima mea. Seruus tuus sum ego; da mihi auxilium gratiarum tuarum, & bene mihi citò erit.

2. Domine dignare esse mecum, & ego libenter volo esse tecum. Domine propter te incepi, propter te mundum reliqui, propter te patior tentationes istas. Propter te suscepi labores istos, propter te morior tota dic. Propter te estimatus sum sicut stultus & inutilis homo. Propter te arguor & corrigor; propter te surgo & canto; propter te ieiuno & vigilo; propter te labore & scribo; propter te cellam custodio & taceo. Propter te omnia ago & sustineo: quia tu bene dignus es, & largus ad retribuendum mihi, in tempore tibi beneplacito. Domine suscipe seruum tuum in bonum, & non timebo, quid faciat mihi caro vel homo.

3. Domine Iesu, esto tu refugium meum, & unicum solatium meum. Esto tu specialis amicus meus, quia omnes amici mei me reliquerunt. Esto tu spes mea, quia vana spes in hominibus. Esto tu gaudium meum & lætitia cordis mei, quia omne gaudium mundi totum inane. Esto tu dux meus, & notus meus, & socius meus in via hac, qua ambulo; quia homines citò deficient, & auferentur à me. In te cantatio mea, in te consolatio mea, in te tota fiducia mea. Sis tu salus mea & honor meus, amor meus & dulcedo mea. Da mihi amare crucem tuam, & imitari vestigia pa-

fionis

